

ximo satisficias. Hoc si facias, poenitentia tua vera erit, peccata tua vera destruet tibique regna ceterorum aperiet, ubi in aeternum regnabis. Amen.

## CONCIO XI.

## DE PECCANDI OCCASIONIBUS.

*Iste omnis fructus, ut auferatur peccatum (Isaiæ 27, 9).*

Tanta est connexio inter proximam peccandi occasionem, et peccatum ut illa sine isto vix reperiatur. Non solum, quia proximæ peccandi occasioni se exponere peccatum est; sed etiam quia ei se exponit, ad peccatum, ad quæ talis occasio inclinat, facile declinat. Et ideo Tertullianus eos, qui in proximis peccandi occasionibus versantur, funambulis comparat, et funambulos vocat. Sicut enim funamboli, qui supra distentum funem gradiuntur, si alibi respiciant, si nutent genua, vel si caput vertiginet, in orchestram decidunt et perirent; ita et qui lasciviae, aliquis proximis se exponunt peccandi occasionibus, quasi funambuli, non quidem in terram, sed in peccatum, et deinde in infernum misere ruunt. Quare optimum ad vitanda et destruenda in semetipso peccata medium est peccandi occasionibus non se exponere, et ab iis se subtrahere. Ad quod faciendum ut vos alicere valeam, ista concio erit de proximis peccatis occasionibus, seu de illis peccandi occasionibus, que vehementer ad peccatum trahunt, vel potius de illis occasionibus, quibus presentibus, qui peccare solet. Ave.

Norunt omnes, santissimum Prophetam David in grave adulterii peccatum infeliciter lapsum esse: notum etiam est omnibus illum poenitentiam egisse, multisque lacrymis et jejunis scelus suum expiisse, sed velim ut quisque advertat, quod ut

## Concio XI — De peccandi occasionibus

149

piissimus ille Rex hoc peccatum in seipso penitus destrueret, utque gravia omnia peccata devitaret, proximis peccandi occasionibus nusquam amplius se exposuerit. Quin contra reliquo vitae sue tempore periculosa peccandi occasiones summopere timuerit, eas omnes sedulo fugerit, et eas in occasione ad bonum alicientes immutaverit. Proximas peccandi occasiones timuit Prophetæ, et ideo Dœum enixe rogabat, ut ab ipso illas amoveret: *viam iniquitatis amore a me* (Psal. 118). Eas fugit; et ideo ab hominum conversione se elongabat: *Ecce elongavi fugiens*. Eas mutavit, et ideo relictis locis, quæ illi peccandi occasionem præbenthal, ad solitudinem properabat ubi virtuti sedulo incumbendi occasionem habebat, *et mansi in soliditudine*.

O homo, tu qualiscumque sis, ut peccata in temetipso destruas, utque illa ita abiicias, ut in ea amplius non labaris, regium imitare Prophetam, et simul cum illo proximas peccandi occasiones time, fuge, et muta. Ad quod faciendum ut aliciaris, eas timendas, fugias, et mutandas jam probabimus. Proxime peccandi occasions sunt: 1. timendæ: 2. fugiendæ: 3. mutandæ.

## I PARS.

*Peccandi occasiones sunt timendæ.*

Licet timor omnium passionum infima, et ultima sit, laudabile tamen, gloriosum, et necessarium est timere respectu occasionum peccati. Qui enim peccandi occasionibus sese implicare non timet, in gravia peccata facile cadit, qui autem iis se exponere pertimescit, a peccatis cavyet, et proprias saluti recte consulti, *timendo cavebimus, et cavendo salvi erimus*. Postquam primis parentibus prohibuit Deus, ne de fructu arboris, quæ erat in medio Paradisi, comedenter, non statim Eva suscit diabolus, ut de fructu vetita comedenter: sed illi prius occasionem de eo comedendi præbuit. Suscit illi prius

malignus ille spiritus ut arborem hanc, et fructus ejus attente inspiceret, bonitatemque ejus serio perpenderet: *Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile (Gen. 6).* Deinde persuasit illi angelus satanae, ut fructum legeret, manu attractaret, odorem exploraret; *tulit de fructu illius.* Quid ager mulier praesente et movente occasione comedendi de fructu vetito? abstinebit ne, an vero comedet? *tulit de fructu illius, et comedit.* Sic homines diabolus ad crimina callide trahit; prima enim fronte enormia non suadet sceleram, sed ad peccandi occasionem primo allicit, et deinde ab occasione ad peccatum facillime trahit. Honesto juveni primo suadet, nihil mali, nihilque periculi imminere si in ingenuam puellam oculos injiciat, si perhumaniter illam salutet, si eam iterum iterumque conveniat, si prolixiores sermones crebro cum illa misceat. Tandem ad manum ejus prehensandam, ad figendam amoris oscula; imo et aliquid ad fructum virginitatis ejus auferendum trahit, *tulit de fructu illius.* Ecce quo ducunt peccandi occasiones, quare ut peccatum devites, et ut salvus fias, peccandi occasions time; *timendo cavebimus, et cavendo salvi erimus.*

Proximas peccandi occasiones maxime timuerunt quamplures viri sanctissimi. Jacob a paterna domo libenter discessit, et in Mesopotamiam peregrinatus est, ut inter se et fratrem suum Esan omnis iurgiorum occasio tolleretur. Isaac a terra, in qua potentissimus et locupletissimus erat, libertissime exulavit, ne qua occasio amaritudinis et discordiae inter se et regem Abimelech pullularet. Abraham timens, ne inter pastores suos et pastores nepotis sui Lot quedam dissensionis foret occasio, terram in qua habitabat, cum nepote suo dispersitri, eique potiores partes cedere voluit. Moyses vir mirabilis in signia et prodigiis, ita peccandi occasionem timuit, ut vitandas occasionis causa maluerit esse pastor ovium, quam filius adoptivus filiae Pharaonis. Sanctus Joannes Baptista, licet magnus coram Domino, licet sanctus antequam natus, et licet inter natos mulierum major, ita peccandi occasiones est veritus, ut eas vitandi causa deserta incoluerit. Peccandi occasiones veluti viperas pertine-

scebat sanctus Hieronymus; has et timuerunt viri quique sanctissimi, quorum innumeri in peccati occasione peccare, et periire timentes, in monasteria, in deserta, et in antra se receperunt. Heu! si viri illi sanctissimi tantopere peccandi occasiones timuerunt, cur non pavebis tu, o homo infirmus, et ad peccatum proclivis? Si gigantes hi trepidaverunt, cur non timebis tu, qui pignaeus es? Time occasione peccati, illis te expovere plurimum time. Nostri domum illam, hunc librum, illiusque personæ conversationem tibi forse peccandi occasiones; in illam domum ingredi, hunc librum legere, et hanc personam alloqui caret. Docuit te experientia, quod quotiescumque cauponam adis, vino te ingurgites; et quod quotiescumque ludis, in blasphemias erumpas, in cauponam ire, et ludere pertimesce. Probe nosti, officium quo fungeris, et beneficium quo frueris, te alicere ad peccandum; illis abrenuntia, ab omni penitus peccandi occasione aufuge, sic solerter declinando a malo salvus fies.

Si queramus a sancto Cypriano, quid sit proxima peccandi occasio? respondebit pestem esse, et luem clandestinam: *Pestis est, et lues, et clandestina pernicies.* Si Bernardum rogemus ut doceat nos, quid sit occasio proxima? dicet, quod haec sit *pestis que subtiliter intrat, ac mentem occupat, et nisi subito repellatur, alicet et incendit.* Haec sane pestis est, que animam inficit, ad peccatum trahit, et interficit, et hac post inumeros, eosque sanetissimos viros occubuisse asserit sanctus Augustinus: *Expertus, inquit, crede, coram Deo non mentor, cedros Libani, duces gregum sub hac peste cecidisse reperi, de quorum casu non magis suspicabar, quam Hieronymi, vel Ambrosii.* Heu! si occasio peccandi est pestis exitiosissima, quæ generosissimis ac sanctissimis viris spiritualem mortem infert; cur proxima peccandi occasio te exponere non pertimesces? Si luem, quæ corpus inficit et toxicat, tantopere times; si in dominis pesta infectis habitare metuis; si patrem, filium, vel amicum, quem pestilens virus invasit, inviseris formidas, cur non metues peccandi occasionem, a qua, veluti a venenata peste occiditur anima? Hic liber, in quo haeretica,

scurrilia, et impia legero consuevisti, *pestis tibi est*. Hæc domus, in qua toties innocentiam perdidisti, *pestis tibi est*. Ludus alearum, in quo temporis, facultatum, et ipsius anima jacturam fecisti, *pestis tibi est*. Hæc creatura, quam inordinato nimis amore prosequeris, *pestis tibi est*. Has igitur pestes time, hasque peccandi occasiones plurimum pertimesce.

Proximam peccandi occasionem *impialet basiliscum* vocat sanctus Gregorius Nazianzenus, quia sicut basiliscus suo visu toxicat, et venena infundit ad necem, ita occasio proxima est basiliscus veneno infundens, ad impietatem trahens, ac spiritualem animæ mortem inferens. Audimus quandoque dicentes, verum est, quod in proxime sim peccandi occasione, verum est, quod in eadem domo tecum habet pellex, sed nullum inde mihi peccandi periculum, malleum enim mori, quam fodari. O stulte, non presumas, sed timeas, haec etenim pellex, basiliscus tibi est, cuius veneno toxicaberis, et ad peccatum alicieris; nec diu potes cum ea morari, quin ad peccatum te trahat. Quia ut ait sanctus Bernardus (Serm 65 in Cant.), *habitare cum foamina, et non cognoscere foeminam, plus est quam mortuum ad vitam suscitare*. *Quod minus est, non potes, quod maius est te posse vix credam?* Hanc ergo, et quamlibet proximam peccandi occasionem time, quia quilibet talis occasio est quasi basiliscus; a quô tua occidetur anima, et ad peccatum infallibiliter alicietur.

Notissimum, et certissimum est prolatum hoc a Spiritu sancto oraculum; quod qui periculum amat, in illo perit, *qui amat periculum, peribit in illo* (Eccli. 3, 27). In tanto autem peccandi periculo versatur, qui in proxima peccandi occasione est, et perseverat, ut eum non peccare quasi impossibile sit. Et ideo dicit Spiritus Sanctus: *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant, aut ambulare super prunas, ut non conburantur plantæ ejus?* (Prov. 6, 27). Quasi dicat: Sicut naturaliter loquendo, fieri nequit ut quis ignem in sinu suo foveat, vel super prunas ambulet, quin conburatur, ita impossibile est, ut quis in proxima peccandi occasione aliquandiu remaneat, quin in peccatum incidat. O pecca-

tor, vis in proxima peccandi occasione perseverare, et non peccare? hoc impossibile est. Vis cum concubina in eadem domo manere, et non peccare? hoc impossibile est. Vis frequenter cauponam adire, ludere, impios libros legere, et hoc faciendo non peccare? Tam arduum opus pertinet ac si maximum vellet operari miraculum qui in vehementi et proxima peccandi occasione aliquandiu manere presumeret et non peccare: *Majus miraculum est inter vehementes occasiones non cadere quam mortuos suscitare* (S. Bern. ibid.). Quare time proximas peccandi occasiones, in quibus evidentissimum et imminentissimum est peccandi, et perirendi periculum, in quo si remaneas infallibiliter peribis; *qui amat periculum, peribit in illo*.

Quamdiu homo in hoc mundo vivit, in magno semper versatur peccandi discrimine, quia ipse infirmus est et ad peccatum pronus. Sed in longe majori est periculo, cum proxime peccandi occasioni se exponit: *tum quia haec occasiones sunt fontes peccatorum* (Ambr. 1, 2, *De ponit.*, c. 2), ad peccandum fortiter trahentes: *tum quia in his occasionibus quisque fit debilior, et ad cadendum promptior*: *tum quia diabolus in his occasionibus est adversus homines fortior, eosque facilius ad peccandum allicit, quapropter vix unquam fiet, quod in his occasionibus homo non delinquit*. Et ideo proxima peccandi occasiones sunt timenda, ac *etiam fugienda*.

## II PARS.

*Peccandi occasiones sunt fugienda.*

Eximium quendam vita spiritualis magistrum adierunt nonnulli juvenes ab eo potiti normam pie sancte vivendi. Quibus expertus senior dixit: scribite. Cumque illi ad conscribenda salutis documenta se parassent, duo haec verba scribenda dictavit magister: *occasiones fuge*. Quibus scriptis, ordine inverso easdem dictavit, dicens: *fuge occasiones*. Ac tertio

addidit: *occasiones fuge*. Cumque attoniti juvenes respondissent: O pater, hæc jam scripsimus: eamdem semper cantilenam repetiū senex, dicens: *occasiones fuge, fuge occasiones*; ut indicaret, omnes ad vitanda peccata, et ad pie vivendum regulas: ad hanc unicam de fugiendis peccandi occasionibus reduci posse. Hanc peccata vitandi et pie vivendi regulam in veteri lege Deus præclare docuit cum non intra, sed extra castra vitulum immolarī præcepit: *ipsum autem vitulum offeret extra castra*. Victimam enim pro peccato, non intra castra et in medio populi, sed extra sibi offerri Deus ordinavit, ut doceret, *quod peccator debet esse elongatus, non solum a peccato, sed etiam ab occasionibus ejus* (Liranus). In medio populi variae occurrunt peccandi occasions, quia unius aures sagittat, ut jucunde detractiones audiamus; aliud oculum ad lasciviam excitat; linguam movei alter, ut fratribus inferat convicia; iste ventrem ad ingluviem irritat; ille ad usuras et rapinam provocat; totus denique mundus in maligno positus est. Hac de causa Deus, non in praesentia populi, ubi multe sunt peccandi occasions, sed extra castra vitulum pro peccato immolarī præcipit, ut doceat sollicite fugiendas peccandi occasions.

Nazareis non solum præcepit Deus, ut a vino, et ab omni quod inebriare potest, abstinerent, verum et prohibuit eis ne uvas, et quidquid a vite oritur, comedenter: *Quidquid ex vinea esse potest ab uva passa usque ad acinum, non comedent* (Num. 6). Quod Nazareis vinum bibere Deus prohibeat, non est quod miremur, quia, ut ait D. Paulus, in eo *est luxuria*. Sed cur uvas, acinum, et quidquid ex vinea esse potest, comedere vetat? Ratio est, quia si uvas et acinum comedissent, inde sumpsissernt occasionem bibendi vinum ac se inebriandi. Quare non solum vinum bibere, sed etiam uvas comedere prohibuit, ut doceret, non solum peccata, sed etiam peccandi occasions esse fugiendas. Quod et luculenter docuit Christus in Evangelio, ubi habetur, quod cum ad eum quidam juvenis viam salutis petiturus accessisset, dixit ei Salvator: *Squere me*. Annuit adolescens; sed facultatem petitundi prius in domum, ut mortuum patrem sepeliat. Cui

Christus: *Sine ut mortui sepeliant mortuos suos, tu autem vade, et annuntia regnum Dei* (Luc. 9, 60). Jure naturali, et divino parentes honorare, iisque obsequi tenemur: cur ergo filium hunc ultima pietatis et charitatis officia defuncto parenti impendere prohibet Christus? Præclare respondet S. Ambrosius, adolescentis illius patrem fuisse infidelem, et ideo non datam filio facultatem sepeliendi patrem, ne, si iret inter infideles, inde occasionem in infidelitatem cadendi surret: *Non revocatur ab officio patris filius sed fidelis a perfidi communione secernitur*.

Vide, quomodo fugiendas peccandi occasions doceat Christus. Atque hoc idem clarioribus verbis docet, dicens: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice abs te; expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam* (Matt. 5, 29). Per oculum enim ibi intelligitur res illa tibi charissima, quam veluti oculum diligis; sive res illa sit officium, sive beneficium, sive persona aliqua, quæ tibi proxima est occasio peccandi; hæc enim omnia fugienda, eruenda, et longe projicienda: *Projice abs te*. Adverte quod non dixerit Christus, claudendum solum oculum, sed erendum, et projiciendum: relinquendum enim hoc officium, ejicienda haec persona, quantumvis haec ejectio sit tibi molesta, et fortunæ noxia. Projiciendus longe hic oculus: non enim in domo vicina, vel in villa hospitanda est concubina, sed longe et quam longissime, non ad tempus, sed in perpetuum est mittenda. Proximas ad peccatum occasions, fumantes vocat sanctus Petrus Chrysologus: *Occasiones fumantes*. Ancillam habes industriam, fidelem, gnaram, quæ tibi plus quam par est, familiarem se exhibet, ecce *occasionem fumantem*. Apud te venit officiosa mulier, quæ statim versat, quæ domestici muneribus ultiro se immiscet, tibique blanditur; ecce *occasionem fumantem*. Venit ad te ingenua puella, ut salutis documenta petat; prima conversatio tota spiritualis est, in secunda aspicis illam, aspicit te illa in tertia; de rebus indifferentibus habetur sermo, deinde prolixiora crebro de variis, de vanis, et ali-

quando de malis flunt colloquia: ecce occasionem fumantem, et ni caveas, ex illo fumo orietur ignis concupiscentiae, et lasciviae. Ipsa enim experientia docet, quod titiones et candelae fumantes, et ex quibus fumus exit, facile ignescunt; haec autem occasions sunt similiter fumantes, quia ex iis facile oritur fœderis concupiscentiae ignis. Ideo abscondenda, et fugienda hujusmodi occasions: *Fuge*, inquit Innocentius Papa, *personam suspectam, locum idoneum, tempus aptum, et quidquid est opportunum ad faciendum peccatum. Quia sicut difficile est in igne esse, et non ardere, ita difficile habere opportunitatem peccandi, et non peccare.*

Sicut in militia sæculari, occasions pugnandi fugere turpe, ita in Christi militia, occasions peccandi fugere gloriosum; arisque potissima ad triumphandum de peccato fugere est. Unde S. Hieronymus ait, quod in prælio, quod adversus peccata initur, ille vincitur, qui peccandi occasionibus se implicat, ille vero vincit, qui peccandi occasions fugit: *Fuge, et viciisti.* Hanc regulam servavit et ipse Hieronymus; qui ut peccata vitaret, peccandi occasions fugit, et hominum conversatione relicita, prouul ad erenum confugit. Ex quo ei improverandi ansam sumpsit impensis Vigilantius, eum inertem militem vocans, eo quod stationem suam deseruerat, et fugerat. Cui præclare Hieronymus: *Fugio ut te non audiam, ut tuo furore non moxcar, ut tua bella non patiar, ne me capit oculus meretricis. Respondebis, hor non est pugnare, sed fugere. Fateor imbecillitatem meam; nolo spe pugnare victorie ne perdam aliquando victorianam.* Fugiebat S. Hieronymus, ut Vigilantius non audiret doctrinam, qua pestilens erat, ut mores ejus, qui scandalosi erant, non videret; ut a furore illius, qui ferinus erat ad iracundiam non moveretur; ut a conspectu et consortio mulierum ad luxuriam non traheretur; fugiebat tandem peccandi occasions, ne aliquando vinceretur, vel potius eas fugiebat, ut vinceret: *Fuge, et viciisti.*

Speciosum et integrerrimum adolescentem Joseph deperire intendebat impudentissima Putipharis uxor; eum ad adulterium vehementer sollicitabat, apprehensaque lacinia vestimenti ejus, dice-

bat ei: *Dormi secum. Quid faciat innocens et pudicus Joseph?* Manebit ne in peccandi occasione, nequaquam, sed *relicto in manu ejus pallio, fugit, et egressus est foras.* Fugit Joseph; et si non fugisset, haud dubius virtus fruisset: fugit Joseph, et ut ait S. Basilus Selenciensis, *fuga usus est pro armis.* Haec sunt arma, quibus triumphavit; et haec sunt arma, quibus de diabolo et de peccato quisque facile triumphabit. Projice tabulas fusorias et taxillos; prohibitos libros combure, procul pelle concubinam, iniquos contractus absconde, ac omnes peccandi occasions fuge, et de peccatis triumphabis: *In occasione peccandi apprehende fugam, si vis incendi victorianam* (S. Aug.). Cum Christus, sancto sensus zelo, nummularios et templo ejeicit, columbas etiam extra templum auferri jussit: *Auferte istu hinc.* Satis videbatur ejectos esse e templo profanos mercatores, ac in templo servanda videbantur oves, et columbae, utpote qua sacrificiis inservire poterant: cur ergo Christus eas extra templum auferri imperat? Respondet Cardinalis Toletus hoc ita factum, ne mercatores inde occasionem ad templum redeundi, et in eo nundinandi sumerent: *Ne redeundi relicta videretur occasio; tunc enim malo subvenitur perfecte, quando etiam mali occasio amputatur.* O peccator, conscientiae tuae sufficienter providisse credis, modo peccata tua foras ejeris, et confessario declaraveris: sed si concubinam non expellas; si picturas et libros ad venerem allicientes non abjicias: si a colloquio cum tali, et tali persona non desistas; si tandem proximas omnes peccandi occasions, quantum in te est, non abscondas et fugias, tuae sufficienter non providisti conscientiae, peccata tua non delevisisti; inanisque, et nulla est tua penitentia; quia absolutionis est incapax, qui in proxima ad gravia peccata occasione voluntarie perseverat.

De hoc nullus est dubitandi locus: et ideo docent Casuistæ, non absolvendos eos, qui proximam peccandi occasionem tollere et fugere neglexerint. Quæ doctrina sumitur ex sacro Canone, cap. *Legatus* 24, q. 2, ubi Gelasius Papa admonet Faustum, *absolvendos non esse, qui in errore, et occasione peccandi sua culpa immersi sunt.* Ratio est, quia qui in

peccandi occasione manere vult, peccare etiam vult. Ut enim ait Doctor Angelicus: *Qui vult causam ex qua necessario, vel regulariter sequitur effectus, cupit virtualiter effectum.* Quare cum proxima peccandi occasio sit causa, ex qua sequi solet, et regulariter sequitur peccatum, qui vult remanere in occasione peccati, censetur velle peccare, et in peccatum cadere. Et ideo est incapax absolutionis; non enim valet, nec valere potest absolutio, nisi quis velit non amplius peccare, et a peccato abstinere. Ergo proximas omnes peccandi occasiones sedulo fugite, ut peccatum in vobis destruatis, utque conscientiae vestre consulatis. Non modo tamen peccandi occasions timenda sunt, et fugienda, *verum etiam in virtutis occasione mutandae.*

## III PARS.

*Peccandi occasiones sunt mutandae.*

Cum in regia sua deambularet David, longe vidit Bethsabee, Uriæ uxorem, lavantem se: *Vidit mulierem lavantem se super solarium* (2, Reg. 11). Vidit, concepivit, fede eam vitiavit adulterio, ac Uriam virum ejus trucidari curavit. Heu! si David, qui rex erat sanctissimus, et vir secundum cor Dei, occasione illius mulieris, quam quasi fortuito videt, turpissimum adulterium, et iniquum perpetrat homicidium: credisne tu, o homo peccator et infirmus, quod in mediis occasionibus, et periculis consistere poteris? David, inquit Augustinus, *in mille passibus mulierem vidit, et statim homicidium fecit, et adulterium: et aliqui in aliena domo cum extraneis mulieribus putant se castitatis obtinere triumphum?* Falluntur qui hoc credunt. Ft ut ait S. Gregorius Papa: Si David ob inopinatam peccandi occasionem cecidit, nullus presumere, sed quisque proximas peccandi occasiones fugere debet. *Fugienda, et evanda est occasio.* Fugiendæ quidem, et timendæ peccandi occasions, sed sunt

etiam in occasione virtutis et pietatis immutandæ. Quod et exemplo suo docet nos David; ipse etenim a peccato surrexit, penitentiam egit, et quæ illi occasionses peccandi fuerant, in virtutum occasions generose mutavit. Peccavit Prophetæ, quia mulierem vidit, oculi ejus ei peccandi occasio fuerunt, mutavit autem ille hanc peccandi occasionem in occasione virtutis: quia oculos, qui ei occasio peccandi fuerant, in fontes lacrymarum convertit: *Exiit aquarum, inquit, deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam* (Psalm. 118). Oculis ad peccandum usus erat, et oculis ad flendum, ad sua crimina lavaanda, et ad Deo satisfaciendum uititur: *Quia peccarit oculis et oculorum concupiscentia, inquit Genebrardus, per oculos satisfecit, copiose lacrymando.* O homo peccator, si David secutus es errantem, eum sequare penitentem. Tanta eius fuit penitentia, ut non solum peccata per penitentiam expaverit, verum et peccandi occasions in occasione virtutum mutaverit: vide et tu, quibus occasionibus ad peccatum ductus sis, easque in virtutum occasions immuta. Si oculi tui tibi peccandi occasionem prebuerint, quia illicita, plusquam par est, consperherunt, iii ad flendum, et ad abluidas criminum maculas utere. Si lingua peccaveris, quia in murmura, in detractiones, et in blasphemias erupit, fac ut imposterum haec tota et totaliter Dei et proximi laudibus proferendis consecretur. Si manibus ad aliena rapienda usus sis, eas ad sua cuncta restituenda et ad facultates pauperibus erogandas assume. Quia tandem tibi peccandi occasions fuerunt, in virtutis et pietatis occasions immuta. Magdalena peccata ita nota erant et gravia, ut *mulier in civitate peccatrix appellaretur*, quasi ipsa sola in civitate peccatrix esset. Mulier autem illa ex peccatrice facta est penitens, tantaque ejus extitit penitentia ut non solum civitatem, inquam hominum conversationem unguenta pretiosa, et alia que ipsi peccandi occasionem prebuerant, totaliter reliquerit, verum et ea, quæ ei peccandi occasions fuerant, in virtutum occasions converterit, et immutari: *Convertit numerum vitiorum ad numerum virtutum* (Chrys.). Civitas quam incolebat, dominus in qua habitabat, persona quarum consortio se immi-

scebat, oculi quibus amoris jacula vibrabat, capilli quibus hominum corda vinciebat, et unguenta quibus proprium corpus ungebat, ei peccandi occasiones fuerant: sed ipsa haec omnia in occasione, et instrumenta virtutum mutavit. A civitate enim in solitudinem, et a domo in antrum migravit: hominum societati valedixit, ut angelorum conversatione frueretur: oculis ad fundendas penitentias lacrymas; unguentis pretiosis ad ungendos Christi pedes, et capillis ad eos abstergendos usa est: omnes denique peccandi occasiones, omniaque vitiorum instrumenta in occasione et instrumenta virtutum mutavit. O peccator, disce ab hac muliere, vita, et occasionum mutationem. Nosti, te in aliqua domo plures peccasse, ne amplius in eam intres; sed ad sacra crebro templa te confer, ubi plures virtutum occasiones reperies. Probe scis, te cum malis malum extitisse; te impostorum coniuge bonis, qui verbis et exemplis ad pietatem sectantiam te extitabunt. Si oculi, capilli, lingua, et libri profani tibi peccandi occasiones, et incentiva extiterunt; haec et alia omnia, que tibi peccandi occasionem praeberunt, in virtutum occasione immuta.

Jacobus eremita sanctitate celebris, et miraculis famosus, demonibus erat terribilis, quos ab hominum corporibus expellere solitus erat. Cum autem quodam mane et cubiculo egrediens, mulierem demonium habentem, in atrio solam inventisset, eam quidem a tartareo hospite liberavit. Sed quia ibi solus cum sola inventus est, hac occasione affectus, in unum et alterum gravissimum incidit peccatum: primo enim pudorem et deinde vitam huius mulieri abstulit. O portentosum tanti viri casum: quo discere debent personae, etiam sanctissima, trepidare, et peccandi occasiones fugere. Sed docet nos etiam hic eremi cultor peccandi occasiones mutare; ille etenim qui infeliciter cecidit, a peccato surrexit, et occasiones peccati in occasiones virtutis feliciter mutavit. Advertit hic eremi incola, frequentiam populorum qui ad ipsum veniebant, ut sanarentur a languoribus suis, ei occasionem peccandi praebusse: quare ab hoc in aliun locum migravit, ubi in sepulchro annis septem ignotus latitavit: ibi amare flevit: ibi solis herbarum radicibus

victivit, ibique ita portentosam penitentiam egit, ut sanctissime obicerit, et Sanctorum fastis adscribi meruerit. Ecce mirabile exemplum, quo ad immutandas pravas peccandi occasiones quisque excitari debet. Cum peccatori in proxima peccandi occasione viventi dicimus: fuge occasiones, peccandi occasions in occasione virtutum converte: respondet plerumque: non possum hanc vitare, et mutare occasionem, quia inde hoc vel illud damnum timeo. O stulte, levissimum hujus mundi times damnum, et gravissimum aeternae damnationis damnum non times? Scito, quod quandiu in peccandi occasione moraris, inferni periculis circumdaris: *Pericula inferni circumdederunt me.* Haec fuge pericula, has peccandi occasiones devita, ac prudenti obtempera Confessoria, qui te ad vitandas et mutandas peccandi occasiones hortatur. Non jubet, ut in desertis habites sicut Jacobus ille eremita: non te condemnat ad latitudinem septem annis intra sepulchrum: non imperat, ut amaras solummodo herbarum radices comedas. Vult tantum ut hanc et illam peccandi occasionem in occasione virtutis convertas; a te solum exigit, ut ablegatis profanis quibusque libris, sacros volvas codices, aliorumque sanctorum librorum lectioni incumbas: a te petit, ut hujus et illius personae conversatione relicta, cum illis verseris personis, quae pietatem tibi inspirent; a te postulat, ut in hanc dominum, in qua toties peccasti, non amplius ingrediari; sed loca sacra, Deum deprecatur, frequenter ideas. Audi hunc salutis tuae magistrum; audi, et inclina cor tuum ad ei prompte obediendum. Nullas adducas rationes ad excusandas excusationes in peccatis; sed tibimetipso dic: salus mea agitur: quare ut salvus fiam, peccandi occasions impostorum timebo, sollicite fugiam, et in occasiones virtutum mutabo. Hoc dic in corde tuo: hoc firmiter statue: hoc fideliter executioni manda, et vitam aeternam obtinebis. Amen.

## CONCIO XII.

DE TEMPORE.

*Iste omnis fructus, ut auferatur peccatum (Isaiae 27).*

Ita abstrusa et recondita est temporis natura, ut ad eam explicandam nobilissimi et subtilissimi quicunque authores plurimum desudarint. Illius essentiam perfecte intellexisse, et mirabiliter explanasse credunt pictores, cum illud delineant, modo ut parentem crudelem, qui fetus suos devorat, modo ut adolescentem vegetum et robustum, qui supra caput sphæram et sub pedibus rotam mobilem gerit. Poetae, quibus omnia licent, tempus dicunt esse quasi præclaram quamdam stellam, que motu continuo et circulari indesinenter supra mundi sphaeram gyrat; aut quasi basilicum qui caudam snam continue rodit. Inter philosophos Pitagoras tempus esse mundi animam arbitratus est: esse ipsum cœlum senserunt alii: esse cœlorum motum dixerunt multi: et plerique esse mensuram et numerum motus hisce temporibus docent. Sed Doctorum Aquila, et ingeniorum Phœnix Augustinus suam hac in parte ingenue fatetur ignorantiam, dicens, se quæreliquo modo quid sit tempus; non tamen ita perfecte, ut aliis naturam ejus explicare valeat: *Quid est tempus, si nemo a me quærat, scio; si quærenti explicare velim, nescio.* Licet autem nos lateat temporis natura: scimus tamen, quod bonus temporis usus sit medium ad destruenda peccata, et ad bona opera facienda aptissimum. Quare de bono temporis usu ista erit concio. *Ave.*

Quomodo tempus expendant plerique hominum, optime describit Seneca (Ep. ad Luc.), dicens, quod illud terant alii nihil agendo, alii aliud agendo, et alii male agendo: *Magna vita pars elabitur male agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus.* Tempus parvipendunt, qui nihil agendo, et otiose vivendo illud labi sinunt: tempore bene uti negligunt, qui aliud agendo, quam quod sui status et officii ratio postu-

## Concio XII — De tempore

163

lat, illud impendunt: tempus tandem nequiter transigunt, qui male agendo, ac pravis operibus incumbendo misere vivunt. Ast contemnendum, negligendum, et nequiter trasingendum non est tempus: non contemnendum, sed magnopere aestimandum: non negligendum, sed bene expendendum: non nequiter transigendum, sed sollicite reparandum. Tempus est 1. Aestimandum: 2. Bene expendendum: 3. Reparandum. Ecce quomodo tempore nobis a Deo concesso uti debeamus.

## I PARS.

*Tempus est aestimandum.*

Tempus plerique mortalium parvipendunt, et pro nihilo habent: *Nemo aestimat tempus; imo pene nullum pretium ejus* (Senec., de brev. vit., c. 1). Illud ita parvi faciebat Domitianus imperator, ut singulis diebus aliquot horas multis acuto stylo configendis insuneret: Hartabu Hyrcaniae rex talpis capiendi cerebro operari dabat: rex Macedoniae Eropus laternis conficiendis totus erat: Byas rex Lydiae filiorum sepissime colligabat: Valentianus imperator ita picturæ et cælatureæ addictus erat, ut indesinenter iis vacaret. Ridebit qui haec audiet, illosque imperatores et reges tempus parvipendisse facile judicabit. At non multo magis illud hodie estimant innumeri, qui illud vel otiose terunt, vel vanis, ridiculis, et saepè malis occupationibus totaliter se dedunt. Vidi et audivi, qui ad conficiendum poema de passere cicurando multum temporis insumperat: in describendo equo, cane, fele, vel culice, elaborato opere desudant multi: aniles fabulas summo studio componunt et addiscunt aliqui: alii in explicanda perscilide multas horas insument: singulis horis ad crystallum, quasi ad idolum suum, accedunt alii: aliorum ut ait D. Hieronymus (Ep. ad Demetr.), tota cura est polire faciem purpuriso, et cerussa ora depingere; ornare crinem, et alienis capillis turritum verticem struere. Et quod pejus est, inquis confa-

bulationibus tempus sepe perdunt multi; illud tesseris, vel lusorii cartis volvendis dilapidant alii, et alii maximam vitæ partem inter epulas et libidines, inter pocula et scorta absument. Praefati omnes, parvi et quasi nihil faciunt tempus, quod quidem non contemnendum, sed pluris aestimandum est: *Nemo nostrum pravi estimet tempus* (S. Bern., *de custod. man. ling. et cord.*). Illud ita aestimabat Seneca, ut ejus jacturam in aliis videre non posset, quin et ipse fleret. Tanti illud faciebat D. Augustinus, ut nunquam litigare, et temporalia potius quam tempus perdere suaderet: *Perde nummos ut emas tibi quietem, id est tempus vacandi Deo*. Sanctus Paulus tantu valoris tempus esse consent, ut eos stultos vocet, qui illud emere et redimere non conantur: *Non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus* (Eph. 5, 6). Et, ut alios taceam, illud ita aestimavit hominum sapientissimum, ut ad alium sollicite conservandum hortetur: *Conserua tempus*. Nec mirum, si hi et alii quique viri sapientes tempus pluris fecerint; cum eo nihil pretiosius sit: *Tempore nihil pretiosius*.

Argentum, aurum, margaritas, uniones, et alia hujusmodi, tamquam pretiosissima summopere aestimant homines: sed his longe pretiosius est tempus; quia modico tempore quisque veniam, gratiam, et gloriam mereri potest. O quam pretiosa esset illa margarita, que terrenum aliquod regnum emere posses! Quam vero pretiosius est tempus, quo, quantumvis bravissimo, Dei gratian, ac coeleste regnum lucrari potes! *Vide, peccator, temporis pretiositatem; quia modico tempore potest homo lucrari veniam, gratiam et gloriam* (S. Bern., serm. 4. post. Do. I Quadr.). Ita pretiosum est tempus, ut toto mundi auro, omnibus mari unionibus, cunctis regum opibus, ac tandem nullo pretio, vel minimum temporis spatium emi possit. Tempus emere, seu vitæ tempus prorogare maxime optabat Ludovicus undecimus Galliæ rex, qui in extremis constitutus singulis diebus medico suo quingentos auros dabant, ut vita tempus profraheret; sed nec his aureis, nec toto regis aerario aliqua vitæ momenta emi poterant.

*Nec potuit pretio vel breve tempus emi.*

Aliquo pretio emi possent Ægypti Piramides, Caesarum Mausolea, regum Palatia, coronæ Imperatorum, ac etiam omnia mundi regna: sed ita pretiosum est tempus, ut uniuersum ejus momentum nullo pretio emi possit. *Quem mihi dabis*, inquit Seneca, *qui aliquid pretium tempori ponat?* Nullus talis inventari potest, quia tempus est supra omne pretium, nec quovis pretio emi potest. Dic, si vales, quanti valeat Deus? estne aliquod pretium ejus? anne dicere potes Deum tanti, vel tanti esse pretii? non equidem: quia Deus est supra omne pretium, nec satis aestimari potest. Quod autem de Deo dicis, hoc et de tempore dic; quia, ut ait Sanctus Bernardus, tempus tantum valet, quantum ipse Deus: *Tempus tantum valet, quantum Deus, quippe in tempore bene consumpto comparatur Deus*. O quam pretiosum est tempus! O quam ab hominibus aestimari deberet! Illud certe aestimarent, si nossemus pretium ejus; sed quamdiu in hoc mundo vivimus, quanti valoris sit tempus, non concipiimus: *Quis mente assequatur, ut pretiosum est tempus, aut quis lingua charitatem ejus explicet? norunt qui amiserunt*. In hoc mundo ignoramus temporis pretium: nos latet, quanti valeat, sed, inquit S. Laurentius Justinianus, hoc damnatos non latet; hi qui tempus salutis perdidérunt, probe norunt pretium ejus: *norunt, qui amiserunt*. Quis conjectari queat, quanti faciant tempus damnati? Ait ipse Justinianus, quod illud ita aestimant, ut grata animo ergarent opes, honores, delicias, ac quidquid est voluptatis pro una horula; nam exiguo illo tempore possent iram et furem divinae justitiae sedare, Angelos exilarare, flaminis aeternis se eripere, et coeleste regnum adipisci. Si Deus ad Tartari fores mercatorem statueret, cum potestate vendendi tempus, quantum placuerit; quam care putatis vel unam horulam emerent damnati? Interrogemus avarum illum, qui inducitur purpura et hyssu, et qui epulabatur quotidie splendide, petamus ab hoc inhumano divite, qui nec ipsas e mense cadentes micas Lazaro pauperi dare volebat: petamus, inquam, a famoso illo damnato, qui sepultus est in inferno, quanti faciat tempus? quantum daret pro una hora, vel etiam pro uno temporis momento, quo poenitentiam agere posset?

Daret sane totum mundum si haberet, daret mille mundos, milles ulro sustineret mortes, et dirissima quævis tormenta mente hilari per millions annorum pateteret, ut aliqua ad penitendum temporis momenta emeret. Quid daret impius Herodes, qui tot innocentium sanguinem fudit? Quid infensissimus ille Christi inimicus? Non solum Iudaæ regnum, verum et totum terrarum orbem, ac centum mille mundos, si sui juris essent, libenter traderet. Et tu, o Iuda proditor, qui osculo Magistrum et Dominum tradidisti, daresne crumenam hanc, in qua denarios recondisti, quos in pretium Sanguinis Christi accepisti? Daret et propria viscera. Quid tot Cæsares, tot reges, tot magnates, tot doctores, qui in mediis ignibus cremantur flentes veluti pueri? Quid tandem Arius, Macedonius, Nestorius, Luther, Calvinus, aliique Heresiarchæ et peccatores pro uno temporis quadrante dare vellent? Darent certe montes aureos, si haberent, vellentque ad obtinendam unam temporis horam, mille dira supplicia, mille mortes, et continuas in mille millions annorum penas subire. Ecce quomodo norint et aestimant tempus hi damnati, qui penitendi tempus misere perdidunt? *norunt qui amiserunt.*

At non soli homines damnati, sed etiam dæmones norunt quanti valeat tempus, isti dum in via essent, aliqua temporis momenta, quæ eis ad merendum a Deo data erant, infeliciter perdidérunt, ac prōinde ejus valorem scire debent, *norunt qui amiserunt;* dicat ergo jam Lucifer, dicat Beelzebub, dicant tartarei omnes spiritus, quanti faciant tempus, quantumque darent, si pretiosa hac momenta jam emere possent? Unus respondet pro omnibus, ille qui in corpore obssessa abjuratus dixit: *Si Deus post diem iudicij vellet mihi punctum temporis concedere ad promerendum cœlum, plus ego solus pro eo facerem quam omnes homines simul* (P. Barri. solitud. 2, 56). Ille, et omnes dæmones tanti faciunt tempus, ut corum quilibet ob obtinenda aliqua temporis momenta plus pro Deo faceret, quam Herodes, quam Antiochus, quam omnes imperatores, et omnes homines damnati.

Attendite, et videte, quam magna res sit tempus, quod a

Deo ad merendum nobis datur. Quodlibet temporis momentum res pretiosissima est, quia in quolibet momento veniam, gratiam, et aternam gloriam mereri possumus. Tantum est temporis pretium, ut nullo prelio emi possit, illud magni fecerunt viri quinque sapientissimi; illud summe aestimant omnes damnati, illudque quam maxime aestimare deberent omnes, quia nihil osti pretiosius. Sed heu! nil minus a peccatoribus estimatur: *Nihil pretiosius tempore: sed heu! nihil hodie vilius estimatur.* O miser peccatores, tunc tempus estimabitis, cum in inferno latebitis. Tunc dicetus, oh si daret mihi Deus unum ex iis annis, aut ex iis mensibus, quos tan inaniter, tamque turpiter expendi! Si ad propria per alias hebbdomadas redire licaret, tanti facerem singula temporis momenta, ut omnia et singula fiendo, orando, aliisque bonis operibus vacando sollicite expenderem. O miser, fac nunc quod agere optares, si in inferno esesses; aestima tempus, quod pretiosissimum est; *ac illud etiam recte et debite expende.*

## II PARS.

*Tempus est bene expendendum.*

Recens et ingeniosus quidam Poeta, ut manifestaret quomodo plerique mortalium tempus expandant, solem mirabiliter splendentem in quadriga induxit, quam duodecim horæ sub Nympharum specie trahabant; horæ autem aliae maximæ, minoris aliae, et aliae minimæ staturæ erant (Stengelius in labyrinth., c. 13). Quam diversitatem cum obvius Mercurius adnotasset, singulas rogavit, ut quenam essent, explicarent? Quæ maximæ staturæ videbantur, responderunt, se horas esse otii, somni, ludorum, commotionum, ac variarum recreationum; quæ minoris staturæ, dixerunt, se horas esse temporalium negotiorum; quæ tandem minimæ staturæ erant, ingenue confessæ sunt, se orationis et meditationis horas esse. Qua nova adinventione indicavit vates, homines prolixas horas, seu

*multum* temporis turpi otio, inertii sommo, ac vanis, malisque recreationibus; *parum* negotiis temporalibus; et *tantillum* orationi, ac rebus qua Deum spectant, insumere. Praclarum quidem adiumentum, sed sati inutile, quippe quia plusquam satis notum est, omnes fere homines minimam temporis partem recte expendere. Si enim quisque mente revolvat, quot a tempore quo usu rationis pollet, horas ludo, quot inani studio, quot somno, quot vanis et malis occupationibus, quotve Deo, anima et pietatis exercitiis insumpserit: parvae statuta esse horas, seu paucissimum esse tempus, quod recte et debite expendit, facile judicabit.

At magnae et prolixae nimis esse debent orationis piorumque exercitorum hora: vel, ut congruentius loquar, omnes horas, o- mneque tempus ita perfecte expendere quisque debet, ut toto vite tempore, Dei salutisque sua negotiis, et bonis operibus sedulo in- cumbat; *Dum tempus habemus*, inquit D. Paulus, *operemur bonum*. Quandiu in hoc mundo vivimus, apud Deum mereri possumus, sed postquam quis exalavit animam, nullum est ei amplius tempus, quo possit expiare scelera, Dei placare justitiam, iram mitigare, angere gratiam, gloriam mereri. Jam est tempus, quando unicus cordis gemitu, oris planctu, oculorum stillicidio, vel manus bono opere coelestem coronam, ac aeternam beatitudinem mereri possumus, sed post mortem nullum tale erit tempus, *tempus non erit amplius*, quare *dum tempus habemus, operemur bonum*, et omnia temporis momenta salutis nostrae negotio insummanus.

Si *beatis* in hunc mundum redire liceret, dareturque illis tempus bene faciendi, et merendi, quam sollicite illud impenderent! quam sedulo virtutum omnium exercitiis incumbenter! quam suaves eis essent equulei, ignes, bestiae, omnisque generis afflictiones, ut Deo placere, altioresque Empyrei sedes assequi valerent! *Si fidelibus*, qui in Purgatorio cruciantur facultatem ad statum viatorum veniendi Deus concederet, quid non da- rent, quid non facerent, quid non sustinerent, ut expiaticibus se ponis eriperent, utque ad paratos sibi Paradisi thronos cito evehentur? *Si damnatis* daretur spatium penitentiae, illisque

venia daretur in hunc mundum redeundi, *per altaria quam fe- stinanter currerent*, et ibi flexis genibus, vel certe toto cor- pore in terram prostrato, tandem suspirarent, plorarent et orarent, donec plenissimam peccatorum veniam a Deo asse- querentur (S. Bern., de inter. domo, c. 6). Sed nec beatis, nec animabus Purgatori, nec damnatis tempus merendi datur; hoc tempus non illis, sed nobis a Deo gratis conceditur, expectaque Deus, ut eo bene utamur, ideo *dum tempus habemus, ope- renur bonum*.

Salutari monito homines ad bene faciendum stimulat Spiritus Sanctus, dicens, *quocumque facere potest manus tua, in- stanter operare*, seu, ut explicat Hugo Cardinalis, quocumque bonum potest facere manus tua, *instanter operare*, id est, ce- leriter, continue, ferventer, perseveranter. *Celeriter*, propter brevitatem temporis hujus vite, quod etiamissime transit, venitque nox quando nemo potest operari. *Continue*, quia interpolatio otii mentis robur enervat. *Ferventer*, quia mollies in opere dissipatio illius est. *Perseveranter*, quia sola perseverantia corona- tur. Ecce quomodo quisque instanter in hoc mundo ope- rari debeat. Cur autem oportet sic instanter operari? ratione adducit Spiritus Sanctus, subjungens: *quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu pro- peras*. In inferno, ut exponit praefatus Cardinalis, *non est opus*, seu tempus operandi meritorie: ibi etiam *non est ratio*, quia nullam habent damnati rationem excusacionis, eur tempus in hoc mundo debite non spenderint. Ibi taudem non est *scientia, nec sapientia*, quia doceat illos modum, quo bene operari, ac Deo placere possint. Itaque, o homo peccator, cum apud inferos, quo tu nequierit vivendo properas, nil tale re- perieris, omni vita tua tempore bonis operibus incumbere, et *quocumque facere potest manus tua, instanter operare*.

Cum terribili tuba sonitu homines ad judicium vocabit An- gelsus Domini, non aliquos dumtaxat, sed *omnes nos manife- stari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum* (2, Cor. 10). Coram Christo, aquissimo iudice, reges et populi,

nobis et rustici, peccatores et justi, ac omnes penitus homines apparebunt: *omnes nos manifestari oportet.* Cur omnes tunc coram illo apparebunt? Non ut fletibus Deum iratum placare valeant, non ut penitentias operibus incumbant, non ut amoris divini actibus ad celum ingredi mereantur; sed ut referat unusquisque, prout in hoc mundo gessit, *sive bonum, sive malum.* In hoc mundo Dei preceptis obtemperasti, penitentiam egisti, ac bonis operibus indesinenter vacasti? aeternam mercedem recipies. In hoc mundo bene operari neglexisti, pravas inclinationes fovisti, peccata peccatis addidisti, nec penitentiam egisti? aeternis suppliciis addiceris, recipiesque prout gessisti in corpore tuo: satage propterea toto vita tua tempore bonis operibus incumbere; et *quodcumque facere potest manus tua, instanter operare.*

Hujus vite tempus dat cuique Deus, non ut turpibus se dedat vittis; virum ut per pia opera aeternam beatitudinem mereatur. Sempiternam cuique proponit Deus mercedem; per bona tamen opera asseverandam: *Regnum Dei non dabitur otiosis, sed in servitio Dei studiosis; regnum Dei non dabitur vagantibus, sed pro servitio Dei laborantibus* (S. Bern., de modo bene vivendi, c. 15). In die judicii dabit Deus mercedem, non desidibus, qui turpi otio indulserunt; nec impiis, qui operati sunt iniquitatem; sed justis, qui in vinea ejus fideliter laborarunt, tunc dicet: *voca operarios, et reddite illis mercedem.* Cave igitur ne tempus inanitor perdas, nec requirer ex pendas; sed toto vita tua tempore bonis operibus incumbere, et *quodcumque facere potest manus tua, instanter operare.* Ipsa docet experientia, quod quale est semen, tales sunt fructus qui ex eo proveniunt: seminasti triticum? triticum colliges: seminasti zizania? zizania metes. Quod etiam verum est de semine mystico operum nostrorum; *nam quae seminaverit homo, haec et metet* (ad Gal. 6, 8). Seminas in hoc mundo lolia et vitia? in alio metes penas et supplicia: seminas virtutes et bona opera; metes beatitudinem et aeterna gaudia: *Quoniam qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem, qui autem seminat in spiritu, de spirili metet*

*vitam eternam.* Quid ergo faciemus? seminabimus ne zizania iniquitatis? nequaquam, quia metemus supplicia aeterna. Imo vere ut subdit D. Paulus, toto vite nostrae tempore seminar co nabimur bona opera, ut aeternam felicitatem aliquando metamus: *bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus* (Ibid.).

Perbelle ait S. Gregorius Nazianzenus: *vita nostra est quasi mercatus, cuius dies cum abierit, tempus amplius non erit emendi.* Certo dies mercatus et mundinis ubique praefixi sunt, ita ut his et non aliis diebus habeantur: dies autem praefixus mercatus, quo celum emere possumus, est vita nostra tempus; ita quod si haec dies abierit, actum sit de celestibus mercibus emendis, nullique celum mercari et emere ultra concedatur: *cuius dies cum abierit, tempus amplius non erit emendi.* Quare toto vita sua tempore sollicite quisque laborare debet, ut bonis operibus celum sibi emat. Quid queso de eo mercatore dicas, qui cum certo sciat, se unica nundinarum die posse centum mille aureos lucrari ac praevideat, se toto vita tempore similem lucrandi occasionem non habitarum, hauc tamen diem ridendo et jocando male conterat? Hunc certe imprudentem et insipientem quisque censebit: si enim saparet, hac die a summo mane usque ad noctem tam quatuor negotiacioni vacaret, totusque lucro incumboret. Fratres carissimi, *mercatus est vita nostra;* haec est dies in qua non aliquos solum aureos, sed totum celorum regnum facil negotio comparare possumus; si autem dies haec nundinaria transierit, illud emendi nulla facultas supererit: *cuius dies cum abierit, tempus non erit amplius emendi;* quapropter toto vite vestre die tam opulentie negotiacioni insudate; ac singulis momentis labora, ut celum jejuniis, eleemosynis, alisque bonis operibus vobis ematis. Huic negotiacioni ita omnes vacare voluit S. Bernardus, ut agre ferat, quod quis vel unicam horam inter vanas confabulationes perdat: *Licet fabulari, dicunt, donec hora prætereat. Oh, donec prætereat hora, quam tibi ad agendum pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad promerendam gloriam, misericordia conditoris indulget.*

*Donec transcat tempus, quo divinam propitiare debueras pietatem, properare ad Angelicam societatem, suspirare ad emissam haereditatem, excitare remissam voluntatem, fere commissam iniquitatem.* Quod si tam malum censem mellifluis docto vel unius horae tempus confabulationibus insimile: quid dicemus de his, qui menses et annos, imo maximam vitæ partem inter vanitates et libidines, inter pocula et negotia sæcularia transigunt? Hi quidem insipientes, et pessimi sunt mercatores, qui brevissimo vitæ suæ tempore ad emendum coelum non utuntur. Estote iis sapientiores, quantumque fas erit, tempus bene expendite; ac *perditum redimite.*

## III PARS.

*Tempus est reparandum.*

Aurum et argentum si perdiderit homo, poterit tantumdem inventire et reponere: si vero tempus amiserit, nequaquam illud inventire, vel acquirere poterit; neque aliud pro eo aliquando reficerre aut resarcire; *quia volat irreparabile tempus.* Et ideo Summus Pontifex Clemens VIII dixisse fertur, nullius rei graviorem esse jacturam, quam temporis; *quia semel amissum recuperari non potest.* Vestis scissa resarciri potest; civitas solo æquata reædificari potest; regis palatum incensum iterum instaurari potest, at tempus perditum reparari nequit; unde flene dicebat aliquis Poeta:

*Damna fleo rerum; sed plus fleo damna dierum.*

*Rex poterit rebus succurrere, nemo diebus.*

Flete, o vos omnes, quotquot multum temporis inaniter, et nequiter perdidistis; tempusque perditum omni modo vobis possibili reparate: *Cauta ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus* (ad Eph. 5, 16). Verum est, quod quando tempus lapsum et perditum est, fieri nequit, ut que transierunt momenta redeant et recuperentur: et in hoc sensu tempus est irreparabile; sed perditum

reparatur tempus, cum jactura ejus flendo, penitendo, ac totis conatus virtuti, salutisque negotiis incumbendo, resarcitur: *Tempus quippe rediminus, quando anteactam vitam, quam lasciviendo perdidimus, flendo reparamus* (D. Gregorius, 15 mor. 28). Hic est modus, quo quilibet tempus redimere, et reparare debet. *Perdidisti tempus vanis et inutilibus rebus vacando; reparo illud, eœli, salutisque negotiis sedulo incumbendo. Perdidisti tempus otiose vivendo?* reparo illud, strenue pietatis operibus insistendo: *perdidisti tempus, vitium indulgendo, et nequiter vivendo?* reparo illud flendo et penitendo: *Tempus rediminus, quando anteactam vitam, quam lasciviendo perdidimus, flendo reparamus.*

Vano corporis ornatu, elaboratae pulchritudinis cultui, inique hominum conversationi, vanitati et luxui multum temporis usurpserat Magdalena; at otioso, et nequiter perditum tempus, reparavit multis lacrymis, quibus sacros Christi Domini pedes lavit; unguentis pretiosis, que supra caput ejus respersit; ac dira penitentia, quam ad mortem usque prorogavit. Adolescentiae et juventutis tempus, quod vanæ eloquentiae, et amoris profani exercitiis impenderat Augustinus, vite sanctitate ac ferventissimis amoris divini actibus postmodum reparavit. Scimus Mariam illam Ægyptiacam, qua simul cum tempore suam aliorumque multorum animas fadis libidinibus misere perdiderauit, gravi et diuina penitentia reparasse. Omnibus notum est magnum Aquitaniae Duceum S. Guillelmum temporis plurimum perdidisse, magnamque vitæ suæ partem schismate, homicidiis, adulteriis, alisque infandis criminibus denigrasse; sed perditum tempus inaudita corporis afflictione, ac portentosa penitentia reparavit. Sic vos, o peccatores, perditum reparate tempus, ut ait S. Anselmus. *Tempus et anteactae vita peccata flendo, et paenitendo redimebit.* In veteri Testamento lege divina statutum est, quod *qui viderit domum intra urbis muros, habebit licentiam redimendi, donec unus impletur annus; si non redemerit et anni circulus fuerit evolutus, emptor possidebit eam, et posteri ejus in perpetuum* (Levit. 25). O homo, inquit Ori-

genes, quandiu in statu gratiae vivis, anima tua est domus Dei, et habitaculum Spiritus Sancti; quando autem a statu gratiae ad mortale peccatum declinas, domum hanc, seu animam tuam diabolo vendis; habes tamen annum integrum, in quo eam redimere potes: hic annus est tempus vite tuae, quae ab Isaia dicitur *annus placabilis Domino*. Si hoc anno animam tuam non redimas, diabolus, qui est emptor, possidebit *cam in perpetuum*: quare si nequaer vivendo, ac male tempus insumento, animam tuam dæmoni vendidisti; et animam, et tempus flendo et penitendo redime: *tempus, et anteacte vitæ peccata flendo, et penitendo redimite*.

In tremendo judicii die rationem reddituri sumus temporis, quod Deus ex mera bonitate sua ad operandam salutem nobis concessit; nullum est vita nostra momentum, cuius tunc rationem reddere non teneamus: *Sicut non perit capitulus de capite, sic non perit momentum de tempore, de quo non oporteat rationem reddere, quomodo sit expensum* (Hug. Card., in c. 24. Ecl.). O peccator, qui tantum temporis mundo, corpori, vanitati, et vitiis dedisti; numera si potes, quot dies, quot horas, quotve momenta male impendisti; et scito, de his omnibus te esse rationem redditum: *omne tempus tibi impensum requiretur, a te qualiter sit expensum*. Non requiret solum a te Deus, qualiter tempus orationis, recreationis, vel aliam aliquam vite tuae particulam: sed quomodo *omne tempus tibi impensum* (S. Bern.), omniaque et singula vita tuae momenta spenderis. Omnes annos, omnes dies, omniaque vite tuae momenta in die judicii adversum te Deus adducet; tuncque, si male egeris, et in statu peccati inveniaris: *æternis suppliciis adjudicaberis: si autem bene, ad ineffabilia Paradisi gaudia æternum beandus vocaberis*. Quare omnia et singula vita tuae momenta bonis operibus, ac pīs christianarum virtutum exercitiis impende. Quod si præteritum tempus te perdidisse, et male impendisse cognoscas, illud flendo et penitendo repara: *tempus, et anteacte vitæ peccata flendo, et penitendo redimite*.

Refert S. Hieronymus, Titum Vespasiani filium, cum quadam

nocte sero recordaretur in cena, se nihil boni eo die fecisse, dixisse amicis: amici, *hodie diem perdidi*. Heu! quot dies, quot menses, quotque annos plerique nequiter perdunt? At cum in inferno erunt, gementes clamabunt: dies perdidimus, annos perdidimus, totum vita tempus perdidimus; et idem animam, Paradisum, Deum et omnia perdidimus. Tunc vellent miseri ex diebus, vel horis in hoc mundo perditis aliquam revocare, et reparare; sed non poterunt: *Sane futurum est omnino, ut horam hujuscem temporis queramus, desideremusque, nec eam habere, vel ullis precibus impetrare possimus* (S. D. s. 2). Age nunc, peccator, cum jam perditum tempus reparare possis, illud sollicite repara. Ne dicas, te perditum tempus reparare non posse sine tuo, rerumque tuarum detrimento; quia illud redimere debes etiam cum facultatum tuarum jactura, ut aeternam beatitudinem asequaris: *Redimere tempus est, etiam detimento temporalium commodorum, ad æternam querenda et capessenda, spatia temporis insunere* (S. Aug. in ps. 50, hom. 1). Veteranos satanæ milites, seu peccatores illos, qui in peccatis insenserunt, docet Chrysologus modum facilem, quo tempus perditum reparare valeant, dicens: *cicanus Deo paululum, qui seculo viximus totum*. O peccator, qui totus mundo, corpori, voluptati vixisti, paululum temporis quod tibi superest, Dei obsequio impede. Quamvis certus essem, te mille, ac centum mille annis in hoc mundo vincturum, totum hoc tempus Deo factori, et Redemptori tuo consecrare deberes: quanto magis paucos, qui tibi supersunt vite dies, ei offerre tenoris? Vive ergo Deo paululum; da illi reliquias vite tuae dies, qui pauci sunt: *Vivamus Deo paululum, qui seculo viximus totum* (Chrysol., ser. 12). Adolescentiam, juventutem, optimamque et maximam vite tuae partem voluptati, tuis commodis, fluxis, caducis, et forte malis rebus impendisti: ut autem totum illud tempus, quod male expendisti aliquo modo redimas, petit tantum Deus, ut saltem ultimam, et pejorem vite tuae partem ei tributas. Da illi hanc partem, et perditum tempus redimes: da illi hanc partem, et eum adversus te iratum placabis; da illi hanc partem, et aeternam tibi beatitudinem dabit. Amen.